

AD NOBILISSIMUM ET PRÆSTAN-  
TISSIMUM VIRVM, TYCHONEM BRAHE  
DANVM, DOMINVM DE KNVDSTRVP, ET VRA-  
NIBV RGI FVNDATOREM, Astronomiæ no-  
stro Sæculo instauratorem  
primarium.



Oelo dignuserit, Zelo qui Coelica scrutans  
Sidera, non Terris vitam traducit inertem.  
Quod TYCHO perfusus Coelesti Numine præstas,  
Despiciens hominum sordes pompasque caducas  
O DANAE gentis lux, gloria, vera voluptas,  
Vive, valeque DEO, cuius vestigia lustras  
Mirandis radiis, & grato perficis Orbi;  
Nunquam visa alius, nunquam confecta labore  
Tanto. Propterea te vasti Machina Mundi  
Miratur, te laude vehet post Sæcula multa  
Posteritas, si docta foret: te Occasus & Ortus,  
Insignem meritis, indagine mentis acutâ  
Præstantem celebrabit, Opus laudabit in Ævum  
Artificem, dum Solis Equi, dum Luna superstes  
Falcatas referet facies, dum Pontus & Aer  
Numinis attollent laudes, quo Sidera constant:  
DANIA donec erit, re, nomine, & omine felix:  
Donec HVÆNNA suis fundis & gurgite multo  
Extabit, loca læta videns atque ore patente  
Vicinas Vrbes, & diffusa Regna salutat.  
O DEVS, Astriferi sapiens fundator Olympi.  
Custodire virum talem, vitaque beare,  
Atque Astris inferre velis qui Sidera scandit,  
Nec Terrena facit magni, sublimia saltem  
Mente agitat, vulgi que volens commercia linqvit.  
O Generose Poli cultor TYCHO, vive valeque,  
Te seruante DEO, cuius moderamine Coeluma  
Circuit, & vitæ percurritur Orbita nostræ.

MARTINVS PLECIVS. F.

